

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Matthiae apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# IN DIE FESTO MATTHIÆ APOSTOLI.

*Evangelium Matth. II. v. 25. -- 30.*

## EXORDIUM.

**I**eremias olim à Deo iustus est descen-  
dere in domum figuli, & ibi audire  
verbum ejus. Cumque descendisset  
in domum figuli, ecce, ipse faciebat  
opus super rotam. Et dissipatum  
est vas, quod ipse faciebat è luto, manibus  
suis, conversusque, fecit illud vas alterum,  
sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret.  
Et factum est verbum Domini ad Prophe-  
tam, dicentis: Nunquid sicut figulus  
iste, non potero vobis facere, domus Israel?  
ait Dominus: Ecce, sicut lutum in manu  
figuli; sic vos in manu mea, domus Israel,  
Jer. 18. v. 6.

Ex hac historia intelligimus, quod  
Deus se figulo, nos homines verò vasi,  
sive luto comparat. Quemadmodum  
igitur figulo non omnia vasa ex voto elab-  
orantur, sed unum atque alterum  
disperit: Id ipsum Deo quoque eve-  
nit. Licet enim hominem fecerit exter-  
minabilem, & ad imaginem similitudi-  
nis suæ, Sap. 2. vers. 23. attamen ille sub  
manu ejus degeneravit, dum insidius Sa-  
tanæ circumventus, in peccata prolapsus,  
hoc ipso imaginem Dei, cum omni con-  
creata justitia & sanctitate deperdidit, ut,  
sicut antè lapsum imaginem cælestis ge-  
rebat, sic nunc imaginem terreni gerat,  
1. Cor. 15, v. 49. quamvis & ipsi miseri-

cordia Dei, ex misera hac corruptione, per  
resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in  
spem vivam regenerati sumus, 1. Petr. 1.  
vers. 3.

Vas abortivum fuit Judas Ischariotes,  
quem quidem Servator in numerum  
duodecim Apostolorum assumserat: ver-  
rùm degeneravit ille in Diabolum. Post-  
quam enim Christum prodiderat, suspen-  
sus crepuit medius, & diffusa sunt omnia  
viscera ejus, Act. 1. v. 18.

Ejus loco DEUS aliud vas sibi fecit,  
nempè Matthiam. Juda enim suspen-  
so, Apostoli statuerunt duos, Joseph qui  
vocabatur Barfabas, qui cognominatus  
est justus, & Matthiam, & orantes  
dixerunt: Tu Domine, qui corda no-  
stria omnium, ostende, quem elegeris ex  
his duobus, unum, accipere locum Mi-  
nisterii hujus, & Apostolatus, de quo  
prævaricatus est Judas, ut abiret in locum  
suum. Et dederunt sortes ejus, & cecidit  
sortes super Matthiam, & annumeratus est  
cum undecim Apostolis, cujus festum ho-  
die celebramus.

Nos Instituti nostri memores, vide-  
bimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

I. J.

J.J.  
Exegesis.

**V**erbum Dei non inconcinne semini confertur, Luc. 8. v. 21. sicuti enim semen, quando bonam terram invenit, multum fructum dat, aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum, Matth. 13. vers. 8. ita Deus de verbo suo dicit: non revertetur ad me vacuum: sed faciet, quaecunque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud, Esa. 55. v. 11.

Id perspicimus in praelecta Pericope, in qua Servator in egregiam gratiarum actionem erumpit, quia illi septuaginta discipuli laetum illud nuncium attulerant, quod in nomine ejus Dæmonia ejecerint. Est enim verbum vitae, Joh. 6. v. ult. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. vers. 16. Reliquos verò qui non fidem habent verbo, sed illud spernunt, eos Deus ex justo judicio tradet in perversum sensum, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, Luc. 8. v. 10.

*Querela respicit*

1. *Rationis abusum*, qui valde familiaris est, in hac mundi senectate. Inveniuntur enim, qui dicunt: Manus nostrae oculatae sunt, credunt, quod vident. Quo verò id efficiunt, ut Pater caelestis abscondat à sapientibus & prudentibus mysteria Regni caelorum. Per sapientes verò & prudentes intelliguntur

1. *Qui videntur & non sunt*: tales occurrunt

1. *In Choro*, semel inter verbi prae-

nes, qui in concionibus suis non Dei gloriam & Auditorum aedificationem, sed suam gloriam quaerunt, ideò Græca & Hebraica crepant, & sublimitate verborum suspiciendos se præbent. Sed hic non est stylus Spiritus sancti, cui placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 11. v. 21.

Sed & inter *Auditores* nascutuli inveniuntur, qui cum nondum elementa exordii sermonum Dei degustarunt, se Magistros esse opinantur, Hebr. 5. v. 12. & de rebus fidei subtiliter disserere non verentur, qui melius sibi consulerent, si lacte uterentur, non cibo solido.

2. *In Foro*, ubi sæpè juniores, sapientia opinione turgidi, seniores prævertete non dubitant, eosque alto supercilio despiciunt. Quibus Siracides optimè consulit, c. 3. v. 19.

3. *In Toro*, ubi mariti juniores Seniorum consilium spernunt, ut Rehabeam, 1. Reg. 12. v. 16. vel uxores maritis se multò prudentiores esse, autumant, ut Michol, 2. Sam. 6. v. 20.

2. *Qui videntur & sunt*, & in sapientia sua placent sibi. Quid verò Jeremias? Non gloriatur sapiens in sapientia sua, c. 9. v. 23. Phil. 2. v. 3. Prov. 27. v. 2.

3. *Qui videntur & sunt, sed extrà limites abeunt*. Tales sunt qui mysteria divina ratione metiri non dubitant, & sapientiam divinam justificatum eunt, Luc. 7. v. 35. Sed non est ista sapientia desursum descendens, à Patre luminum, sed terrena, animalis, Diabolica, Jac. 3. v. 15.

Servator nos veram prudentiam docer, inquit: Estote prudentes, sicut serpentes, Matth. 10. v. 16.

Ser-

Serpentes caput probè custodiunt, in quo vita est: sic & nos propter Christum qui caput Ecclesiæ est, Eph. 5. v. 24. omnia profundere minus dubitemus, quo firma sit promissio, Matth. 19. v. 29.

Serpentes pellem detrahunt sibi, & ita renovantur: sic & nos ponamus veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovemur autem Spiritu mentis nostræ, induentes novum hominem, qui secundum DEUM creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, Eph. 4. v. 22. 2. Cor. 4. v. 16.

Serpentes ab homine fugiunt, & in cavernis suis se abscondunt: sic & nos à mundo exeamus, & sodalitiis pravum fugiamus, 2. Corinth. 6. v. 17. Breviter: Initium sapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, Psal. 111. v. ult.

III. *Consequentem fructum.* Abscondit enim Pater cœlestis à sapientibus & prudentibus mysteria Regni cœlorum.

Hoc non ita intelligendum, quasi Deus sapientes & prudentes hujus mundi absolutè reprobraverit, & ex mero beneplacito, à communionem Evangelii exclusit. Minimè. Scriptura enim non aliud beneplacitum memorat, quam quod in Christo est fundatum, Ephes. 1. v. 5. & per Evangelium nobis revelatum, Rom. 16. v. 26. juxta quod ipsi placuit, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21. Vult enim omnes salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. v. 4.

Quia verò sapientes & prudentes hujus seculi gratiam oblatam rejiciunt, & ve-

nire renuunt, Matth. 22. vers. 3. 6. ipsi in culpa sunt, quod Deus eos in perversum sentum tradit, & corda eorum excæcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, 2. Cor. 4. vers. 4. 2. Thess. 2. v. 10. 12.

Fugite proindè hanc *φιλαντίαν*, cum Davide dicentes ex Psal. 25. v. 21.

Simplicitas rectumque tuum me Christe, gubernet.

Sapientia quippè hujus mundi stultitia est apud Deum, 1. Cor. 1. v. 20. & qui vult sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat, ut fiat sapiens, 1. Cor. 3. v. 18.

III. *Christianorum statum.* Hic Christum ad se vocare audimus omnes, qui laborant, & onerati sunt. Hæc brevis descriptio est humanæ miseriæ, cui omnes ab utero matris, usque in sepulchrum subjecti sumus,

1. *Ratione externa tribulationis.* Verè enim laboramus, primam vocem emittimus plorantes, & tribulationum variationes & exercitus contra nos sunt, Job. 10. v. 17. Surgat Adam cum omnibus filiis suis, & uno ore loquantur, num in hac vita habuerint unquam gaudium sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine motu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu, ait Augustinus. Non dubito quin omnes responsuri sint: Optima nostra portio, labor & dolor, Psal. 90. v. 10.

2. *Ratione interna corruptionis,* ratione cujus nihil boni in nobis habitat: sed omne figmentum cognitionum cordis tantummodò malum est omnibus diebus, Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. & volentibus bonum

ffff

num

num facere, malum adjacet, Rom. 7. v. 22. Delinquimus operibus, verbis, gestibus, & cogitationibus, vigilantes, dormientes &c. ita, ut vel septies in die cadat justus, Proverb. 24. v. 17. Delicta quis intelliget? Psal. 19. v. 15. hinc gravissima peccatorum moles oritur, quæ nos paulatim in infernum demergit, Deut. 32. v. 22. ut David testis est, Psal. 38. v. 5.

Reperiuntur, qui hanc molem non sentiunt, sed malum manuum suarum bonum dicunt, Mich. 7. v. 2. vel imaginantur sibi, si à gravioribus sceleribus sese contineant, non occidant, non mæchentur &c. parùm refert, licet execrentur, verba obscæna proferant, scœnore facultates suas augeant, vel alio modo delinquant. Verùm sciamus: nullum peccatum adeò veniale esse, quin fiat, si placet, criminale.

Si quis singulis diebus in prandio & cœna tantum quartam partem canthari vini bibat, anniversariè centum octoginta quinque cantharos efficit, sive duas ohmas & viginti quinque cantharos, quale debitum non adeò facîle persolvendum. Multæ aquarum guttæ si concurrant, magnum fluxum efficiunt, in quo perire possis: ita minuta etiam peccata, si negligantur, occidunt, Augustino dicente.

Proindè peccata non inspiciamus, ut *accedunt*, sed ut *recedunt*, cum Demosthene dicentes: *Tanti pœnitere non emo.* Nam *momentaneum est, quod deleciat, æternum quod cruciat*, Esa. 66. v. ult.

David ex uno peccato in aliud prolapsus, non multum referre arbitrabatur. Verùm ubi conscientia evigilabat, non erat pax ossibus ejus, à facie peccatorum

ejus, ut lamentaretur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me, Psal. 38. v. 5. 7. renuit consolari anima mea, Psal. 77. v. 3.

Quid Caino? Gen. 4. v. 13. quid Judæ proditori accidit? Matth. 27. Nonne uterque peccatorum mole oppressus est?

Sic adhuc hodiè peccata fronte blandiuntur, calce feriunt, & caudâ vulnerant, Jer. 2. v. 19.

Quilibet proindè videat, ut bonam militet militiam, habens fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19.

-- Hic murus aheneus esto

Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ.

Hinc Johannes: Si cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh. 3. v. 21. si verò fiduciam ad Deum, mundus metuendus minimè est, quoniam major est, qui in nobis est, quàm qui in mundo, 1. Joh. 4. v. 4.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
I. *Ex parvulorum illuminatione*, de qua Servator: Confiteor tibi Pater, quod ea revelasti parvulis.

Per parvulos non intelliguntur ejusmodi homines, qui planè nullo judicio præditi sunt, & omnia sine discrimine recipiunt, licet cum verbo Dei non congruant: Hæc enim ex causâ Deus afinos reprobavit, quo minus ad sacrificia adhiberentur, Exod. 13. v. 13. sed illi, qui non adeò curiosi sunt, in divinis mysteriis, sed simpliciter credunt

credunt, quod scrutinio intellectus comprehendere nequeunt, sicuti liberi simpliciter credunt, quæ ipsis à parentibus proponuntur, nec dubitant de veritate illorum: hi Dei amici sunt, quibus Pater cælestis mysteria sua revelat, quia in iis delectantur, nec consilium Dei adversus seipsum spernunt, Luc. 7. v. 30. sed dantes gloriam Deo plenissime sciunt, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, Rom. 4. vers. 21. cætera commendantes Deo, qui potest facere superabundanter plus quàm petimus & intelligimus, Ephes. 3. v. 20.

Noli proindè offendi, quando sapientes hujus mundi in sapientiâ suâ confidere vides. Ecclesia vera est pusillus grex, Luc. 12. v. 32. Non multi sapientes secundum carnem sunt electi, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 26. 29. imò ex ore infantium & lactentium perfecit sibi robur, Psal. 8. v. 3. id mordet Diabolum quàm maximè, si ei à simplicioribus & parvulis resistatur. Superbus enim est Spiritus, qui nihil minus, quàm ignominiam perferre potest. Hinc Rex superborum dicitur, Job. 41. v. ult.

II. Ex blandâ invitatione, quâ Servator omnes laborantes & oneratos ad se vocat. Ubi probè advertendum, quod sine delectu omnes homines indefinitè invitet. Non dicit: Veni ad me Abraham: nunc cognovi, quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, Gen. 22. v. 16. Non dicit: Veni ad me Noah, te enim vidi justum coram me, in generatione hâc, Gen. 7. v. 1. Non dicit: veni ad me Moses, tu enim in omni domo meâ fidelissimus es, Num. 12. v. 7. Sed hæc

vocatio ad omnes homines directa est, cujuscunque illi sint loci & ordinis, hos omnes Dominus brachiis suis excepturus, & ad salutem promoturus est. Sicuti enim Sol totum orbem radiis suis collustrat: Ita Christus Sol justitiæ, Mal. 4. v. 3. illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, Joh. 1. v. 9.

Nemo proindè desperet, quia omnes vocat: Respicite ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ, Esa. 45. v. 32. Conclufit enim omnia sub incredulitatem Deus, ut omnium miseratur, Rom. 11. v. 32.

Quando igitur conscientia tua te angustat, per fugio Servatoris tui utere, qui refocillationem suam, spontè tibi offert: est ille Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. v. 10. propterea non te rejiciet, sed in gratiam recipiet, qui enim invocaverit nomen Domini, salvus erit, Joel 2. v. ult. Rom. 10. v. 13.

III. Ex promissa refocillatione. Nam ego, inquit, reficiam te. Si quis oneri succumbit, desideranter alterius opem imploret, & expectat, dum veniat, qui se potrectâ manu erigat: Ita nos sub mole peccatorum jacuimus, sed Christus venit, & nos refocillavit, per vulnera enim ejus sanati sumus, Esa. 35. v. 5.

Hâc refecione hodiè tenus adhuc fruimur,

I. In verbi prædicatione. Omnia enim, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Si peccata territant te, hoc solatium cape ex verbo divino, quod Christus

ffff 2

dona-

donaverit tibi omnia delicta, delens, quod adversus nos erat, chirographum, Col. 2. v. 14.

Si Diabolus die nocteque accusat te, Apoc. 12. v. 10. ex verbo Dei novimus, qualem Advocatum habeamus, 1. Joh. 2. v. 1. qui est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Si lex cum maledictione suâ ad desperationem te adigere vult, hoc solatium certum est, quod Christus redemerit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Gal. 3. v. 13.

Si cruce afflictaris, exploratum tibi habeas quod Christus non te orphanum derelicturus sit, Joh. 14. v. 18. sed tecum futurus in tribulatione, Psal. 91. v. 15. Et ut paucis multa comprehendam, nulla ærumna tanta est, cui non dictum Scripturæ, tanquam certissimum antidotum applicari possit. Hinc David: Hæc me consolata est, in afflictione mea: quia eloquium tuum vivificavit me, Psal. 119. vers. 50. 93.

2. *In speciali absolutione.* Quando enim peccator pœnitentiam agens in locum confessionis venit, & peccata sua Deo, ejusque ministro confitetur, & audit responsum amabile: Confide, fili, confide filia, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. vers. 2. efficax hæc refocillatio est, quâ homo mutat virtutem, Esa. 40. vers. 31. ut exultent ossa contrita, Psal. 51. vers. 10. Absolutio enim virtutem suam non habet à ministro, sed à Deo, hinc Matth. 18. v. 18.

3. *In Sacra cœna usurpatione.* Quando nobis sub symbolis benedictis corpus & sanguinem suum ad edendum & biben-

dum exhibet, in plenariam securitatem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ. Hic certissimum pignus accipimus, ut nullus dubitandi locus superfit, quin quæ Deus promissit, Etiam & Amen futura sint, 2. Cor. 1. v. 17.

Si quis tibi centum Imperialibus obstrictus est, cujus debiti syngrapham tu habes, facile acquiescere potes, & solutionem stato tempore expectare, præsertim, si vir honestus ille sit: Quando verò pignus possides, multò securior es.

Sic tibi Deus in absolutione remissionem peccatorum pollicetur, hoc ut Deus verax est, verissimum est: Ast in sacra cœnâ certissimum pignus nobis portigit, quod ipse nobis in patrem, & nos ipsi in filios & filias esse debeamus, 2. Cor. 6. vers. ult.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Invitatus appare.* Sic enim Servator: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Veniamus igitur,

1. *Corde pœnitente*, dicentes cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. vers. 13. & cum filio prodigo: Peccavi Pater, Luc. 15. vers. 21. Hic primus pœnitentiæ gradus est. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c. 1. Joh. 1. v. 9. Hic intima cordis contritio requiritur, 2. Cor. 7. v. 10.

2. *Corde credente.* Non enim sufficit peccata confiteri & deplorare: idem & fecerunt

cerunt Cain & Judas, qui tamen in peccatis damnati sunt: Sed infuper requiritur, ut verâ fide apprehendamus Jefum Christum, qui propitiatio factus est, pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi peccatis, 1. Johan. 2. v. 2.

3. *Corde obediente*, ut propositum firmemus vitam emendandi, & ad Decalogum componendi.

Nam ut Pœta ait:

Si pœnitet, haud nocet error.  
Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur, Ezech. 18. vers. 21. 22.

Hoc vel maximè necessarium est, nisi enim fiat, refocillatio fit damnatio, verba enim quæ audierunt, & non fecerunt, judicabunt ipsos, Joh. 12. v. 48.

Absolutio quoque commutabitur in excommunicationem, Joh. 20. v. 23. & S. cœnæ manducatio cedit in judicium, 1. Cor. 11. v. 27. imò Christus ipse nihil proderit illis, & quando veniet die novissimo, non veniet, ut Salvator amabilis, sicut in primo adventu, sed tanquam justus & iratus judex & vindex, arbores infrugiferas excisurus, & in æternum ignem missurus, Matth. 3. v. 10. Quilibet proindè observet illud Siracidis, c. 21. v. 1. 4.

II. *Jugum tolla*. Hoc Christus requirit, inquit: Tollite jugum meum, quo crux intelligitur, quâ quilibet Christum sequi tenetur, Matth. 16. v. 24.

Hæc jugo comparatur,

1. *Ratione impositionis*. Sicut enim agricola bobus jugum imponit: Sic Deus supremus Director est, qui nobis onus im-

ponit, Psal. 68. v. 20. & sine ejus permissu, ne capillus capitis lædi potest, Matth. 10. v. 30.

2. *Ratione conjunctionis*. Veluti enim jugo duo boves copulantur, ut ex æquo laborent: Ita nos jugo crucis Christo quasi copulamur, ut crucem ejus feramus, & sicut ipse, per multas tribulationes in Regnum cœlorum ingrediamur, Act. 14. v. 22. 2. Tim. 2. v. 11. 12.

3. *Ratione probationis*. Jugo boves probantur: sic & nos per crucem probamur, quàm firmi aut debiles in fide sumus, non quidem respectu Dei, sed respectu nostri, Hinc Siracides c. 2. v. 1. 5.

4. *Ratione refrenationis*. Jugo boves edomantur: Sic vetus Adam, caro nostra lasciva per crucem debilitatur, & compefcitur, ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, Roman. 6. v. 12. 1. Petr. 4. v. 1.

5. *Ratione exstimulationis*. Boves in jugo trahentes cibum desiderant: Ita jugo crucis oneratis, appetitus verbi divini ceu spiritualis escæ excitatur. Vexatio enim dat intellectum, Esa. 28. v. 19. & orationem, spem, patientiam, aliasque virtutes operatur, meditatio, quando eos castigas, Esa. 26. v. 16. Tandem & desiderio flagramus cœlestis patriæ, ut obliviscentes quæ retrò sunt, & ad ea, quæ sunt priora, extendamus nos, destinatum scopum persequentes, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Philip. 3. v. 14.

6. *Ratione allevationis*. Boves jugo juncti, nonnunquam allevantur, & cibo recreantur, quo prostratas vires recolligant: Ita Deus onus nobis imponit, sed

ffff 3 & la-



& salus nostra est, Psal. 88. v. 20. nosque virtute Spiritus sancti roborat, infirmitatemque adjuvat, ut bonam militemus militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, atque omne gaudium existimemus, si in varias tentationes inciderimus, Jac. 1. v. 2. Tob. 3. v. 21.

7. *Ratione liberationis.* Vespera ingruente, agricola boves jugo solvit, ducit illos in stabulum, & pabula ministrat, quò à lassitudine recreentur. Ita & Christus, cœlestis ille agricola, quando vespera hujus vitæ ingruet, omnes cruce gravatos jugo exsolvet, & in requiem deducet, ut quiescant in cubili suo, Esa. 57. v. 2. Apoc. 14. v. 13. ex cubilibus nostris, postquam satis quievimus transferet nos in cœlestem Hierusalem, ubi non ultra audierur vox fletus & clamoris, sed comedentes saturabimur, bibemus & exultabimus, Esa. 65. v. 13.

Quando igitur crucis jugum trahimus, non melius nobis consulere possumus, quàm si Dominum fideliter invocemus, qui enim jugo nos copulavit, solvere quoque nos potest; quia ipse vulnerat & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt, Job. 5. v. 18.

Roboam olim jugum grave imposuit Israelitis, eosque planè tyrannicè tractavit, 1. Reg. 12. v. 11. Verùm multò aliter Deus in nos affectus est: Non enim excruciat homines ex corde suo, & affligit filios hominum, Thren. 3. v. 33. conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrum, Jer. 31. v. 20.

III. *Discenda disce.* Hic Christus clamat: Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde.

Discamus ergò ab eo,

1. *Lenitatem.* Hæc enim ejusmodi virtus est, quæ omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. In hæc virtute Servator maximè excelluit, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, 1. Petr. 2. v. 23. Esa. 53. v. 7. sed hoc ipso nobis exemplum reliquit, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. non redentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, 1. Petr. 3. v. 8. Id quod caritas Christiana requirit, quæ patiens & benigna est, non æmulatur &c. 1. Cor. 13. v. 4. 7. Qui juxtà hanc regulam incedit, is magni est intellectus: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam, Prov. 14. v. 29. Hinc Servator: Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5. v. 5.

2. *Humilitatem.* Hanc quoque virtutem Christus nobis commendavit, dum parentibus subditus fuit, Luc. 2. v. 51. discipulis pedes lavit, Johan. 13. v. 5. patri obediens factus, usque ad mortem, mortem autem crucis, quod ipsum omnes in nobis sentiamus, Phil. 2. v. 8. ut humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

Stella in firmamento nobis admodum exigua videtur, & tamen sæpè universo orbe major est: Ita homo, qui se humiliat admodum parvus est, & lampas contempta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. sed in oculis Dei eò major aestimatur: quamvis enim in altis habitat, tamen humilia respicit in cœlo & in terra, Psalm. 113. v. 6.

Hoc si ita didicerimus, Christus quoque

quoque verbum suum verificabit in nobis, ut requiem animarum inveniamus, h. e. nō modo in requie vivemus, contrā quā su- perbi & vindictæ cupidi: sed & benedicti- onem hæreditate possidebimus, 1. Petr. 3. v. 9. cum omnibus electis vocem amabilem

percepturi: Venite benedicti Patris mei, hæditario accipite paratum vobis Re- gnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Quod nobis JESUS noster largiri dignetur, Amen.

## IN DIE FESTO ANNUNCIATIO- NIS MARIÆ.

*Evangelium Luc. 1. v. 26, -- 38.*

### EXORDIUM.

**A**pparuit olim Angelus Domini, uxori Manue, quæ hætenus ster- tilis fuerat, eique conceptionem hæc verbis annuntiavit: Steri- lis es, & absque liberis: sed concipies & paries Filium: cave ergò, ne bibas vinum & siceram, nec immundum quicquam comedas; quia concipies & paries Fili- um, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia suâ, ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum, Judic. 13. v. 2. 5.

In prælectâ Pericope similem ferè hi- storiam invenimus. Velut enim ad ste- rilem Manue uxorem, Angelus Domini accessit, eique conceptionem Samsonis annuntiavit: Ita & Angelus Domini ad desponsatam virginem nomine Maria, Nazaretham missus est, ut ipsi nunciaret, quod mater Messia futura esset. Ita enim verba ejus habent: Ecce, concipies in utero, & paries Filium, & vocabis no- men ejus Jesum: Hic erit magnus, &

Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus, & regnabit super domum Jacob in æter- num: & Regni ejus non erit finis.

Hoc maximum est miraculum, quod hætenus in mundo factum, quod nempe hodiè Filius Dei in utero virginali conce- ptus, ubi tres singulares & miraculosæ conjunctiones factæ sunt, dum *Deus & ho- mo, mater & virgo, fides & cor humanum* invicem uniuntur. Quis unquam talia audivit? meritò ergò cum Davide exclamamus: Hæc est dies, quam fecit Domi- nus, exultemus & lætemur in eâ, Psal. 118. v. 24. Hunc quippè diem Prophetæ, Patriarchæ & Reges V. T. cum desiderio expectarunt, subindè suspirantes, cum Jacobo: Expecto salutare tuum, Domi- ne, Genes. 49. v. 18. cum Davide: Quis dabit ex Sion salutem populo Israel? Psal. 14. v. 7. cum universo populo: Ro- rate cœli desuper, & nubes pluant justi- tiam: aperiatur terra & germinet Salva- torem, & justitia oriatur simul, Esa. 45. v. 8.

Uti-